

290

Salaria Episcopalia	249
Schola Aboënsis	
Björneb.	.	.	.	18, 30,	.	49
Helsingfors.	31
Wiburg.	32
Selau (Petr.)	66
Stodius (Mart.)	192
Stutzus (Joach.)	.	.	.	64, 184, 200,	.	224
Svenonius (Enev.)	.	.	.	9, 23,	.	51
Synodi Aboënses	72, 236
Terferus (Joh. El. sen.)	21, 207
(Joh. El. jun.)	69, 183
Thauvonius (Abr.)	184
Typographia Ab.	72
Vigelius (Sveno.)	22
Visitatio Episc. Ab.	.	.	.	53, 183,	.	269
Nyland. Eccles.	24
Wald (Petr.)	75
Wafaborg (Gust.)	189
Wexionius (Mich.)	193
	.	.	.	169, 170,	.	183



Gadolin

DISSERTATIO ACADEMICA
HISTORIAM DESCRIPTIONEMQUE
PAROECIÆ MÅNDTHARJU

SISTENS;

~~~~~  
CUJUS

PARTEM PRIOREM,

CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOS. AB.

PRESIDE

**JOH. FREDR. WALLENIO,**

*Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro  
in quarta classe Equite, & Societ. Oecon. Imp. Fenn. atque  
Reg. Wermel, nec non Societ. Patriot. Holm. Membro,*

VENTILANDAM,

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

EXHIBET

**DAVID BERNER,**

*V. D. M. Wiburgensis.*

In Auditorio Superiori d. XXII Junii MDCCCXII.

h. p. m. consuetis.

---

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.



VIRO  
ADMODUM REVERENDO ATQUE PRÆCLARISSIMO,  
DOMINO  
AXELIO ABRAHAMO BERNER,  
ECCLESIAE, QUÆ DEO IN MENDYHARJU COLLIGITUR,  
PASTORI MERITISSIMO,  
FRATRI CARISSIMO!

*Ab illo inde tristissimo temporis momento, quo Indulgentissimi  
Patris ambo orbati fuimus auxilio, Tu solus, non minus in  
difficiliore primum & valde dubia vitæ tuæ conditione, quam  
deinde in feliciore, Parentis loco mihi adfuisi, curaque prorsus  
singulari curasti, ne dolori & egestati succumberem. Tibi igitur,  
Frater Optime, hocce epusculum in signum animi gratissimi  
sacrum dicatumque volui, debui,*

*Tui amantissimus Tibique obstrictissimus Frater,*

DAVID BERNER.



*Nescio qua natale solum dulcedine captos  
Ducit, & immemores non finit esse sui.*

OVIDIUS.

**P**arocias inter Fennicas, quæ Rusfici Imperii fines a Sve-  
cano haud ita pridem discriminarunt, non ulla arctius  
cum utroque servavit commercium, quam *Cultrigerorum* illa  
genitrix *Mändyharju*, eademque antiquioribus jam temporibus  
Savolaxiam cum Tavastia jungens. Hanc ut descriptam Spe-  
cimine Academico sisterem, impulit non solum natalis terræ a-  
mor, verum & optimi quondam, jam beati Parentis consilium,  
subministrataque ab Eodem & sua & Spectatissimi quondam,  
Rei Nitratæ Directoris ABRAH. ARGILLANDRI Collectanea,  
quibus accesserunt pleniora etiam, eodem ARGILLANDRO au-  
ctore atque svaloris incepta, Pastoris primum nostratium, tan-  
demque Episcopi Borgoënsis ZACH. CYGNEI, peculiari cuidam  
libello (*Mändyharju Sockens och Kyrkas Historiebok*) inserta  
Scholia atque Epimetra: quæ tamen omnia, propter magnam  
an-



antiquiorum monumentorum jacturam, manca esse atque imperfecta dolens fateor, in primis cum, quod illis addere ipse possum, vix habeam. At præstabit, puto, servari & in communem usum converti vel leviora illa, quæ ex trinitibus pristinarum chartarum naufragiis enatarunt, quasi fragmina, aut qualemcunque saltem ex his aliisque jam notis concinnari Historiæ plus minus lacunosæ compagem, quam temporum injuriis permitti eadem & turpi patriarum rerum incutia deleri. Adjungere animus fuit etiam alia quædam ad cognoscendam Paroeciam nostram spectantia: qua igitur Disertationis materia eligenda tractandaque bonam Lectoris gratiam inituros nosmet fuisse haud desperaremus, nisi vetarent partim temporis partim facultatum angustia, ne omnia simul & semel elaborata prodeant. Curabimus tamen, ut quæ in hac Opusculi parte attingi non permiserunt causæ jam dictæ, ea alius quidam commilitonum æquali studio, nec sero nimis, persequatur.

Expugnatam a. 1295 Careliæ (Savolaxiæ) partem australem Christiana, ut cruciatam decebat expeditionem, religione initiandam curarat Svecici regni Marschallus THORKILLUS CANUTI, ministerio usus PETRI ELAVI, Episcopi Aroliensis. Ut autem erat Ecclesia illa primum plantata tenuis & late dispersa (a), ita Paroeciæ initio paucæ eademque peramplæ. Sic ipsum

a) Vid. Litteræ Senatus Regni a. 150; in crastino b. Calixti pape datæ, legendæ in Åbo Nya Tidningar a. 1789 N:o 42 p. 337 sq. Cfr. etiam Annotatt. Celmi H. G. PORTHAN ad PAULI JUUSTEN

plum Savolaxiæ nomen quondam non provinciæ erat, sed paroeciæ (*Savilax, Svelax, Savolax*) at provinciam amplitudine æquantis, templique sedem ibi fere habentis ubi sita jam est paroecia *S. Michaelis* (b), nec nullam forte Tavasticiæ, semisæculo ante occupatæ, partem complexæ. Comparet illud nomen in litteris actisque annorum 1329, 1337, 1370 (c), quin etiam paullo ante medium sequentis sæculi (d) & serius (e), sed paroecia, propter crescentem incolarum numerum & nimiam locorum longinquitatem, sæpius partita, ita mutatum, ut nova Savolaxiæ majoris (*Stor Savolax*) appellatio coetui *S. Michaelis*

A 2

Chronicon Episcoporum Finlandensium p. 644. Erat tamen istarum Litterarum tempore insigniter jam auctus Ecclesiarum numerus.

b) PORTHAN l. c. p. 133, 231 sq. Åbo Tidn. 1791 N:o 15.

c) PORTHAN l. c. p. 231 sq. 355. Åbo Tidn. 1785 Bib. p. 118.

d) Åbo Tidn. 1785 N:o 14 p. 105 sqq.

e) Documento huic opinioni esse videtur Index ille Ecclesiarum ruralium reddituumque &c. Episcopalem Abosæ sedem tenente MARTINO SKYTTE annoque 1542 adornatus, de quo PORTHAN l. c. p. 315 & m. 691, cum inter Paroecias Careliæ undecim ibi enumeratis nomen proferret *Savilax*, sed nullum Kuopioënsi illi tractui peculiare; at 50 saltem annis post, in subscriptionibus Decreti Concilii Upsaliensis (a. 1593) nomina leguntur ANDREÆ, P. & P. in *Stor Savolax*, & JOHANNIS MICHAELIS, MATTHIÆQUE AUGUSTINI, Sacellanorum ibidem, neque minus THOMÆ JOHANNIS Pastoris, & PAULI LAURENTII Sacellani in *Cuopio*. Dubitare igitur licet, an tanta sit appellationis istius *Stor Savolax* antiquitas, quanta in Åbo Tidn. 1791 N:o 15 perhibetur, illam scilicet ad ipsum Sæculi 16:ti initium referendo.



chælis (f), minoris vero Savolaxiæ (*LillSavolax*) parœciæ novæ *Kuopio* sive, ut appellari aliquandiu sœvit, *Tavifalmi*, per aliquod tempus adhereret (g). Seceserat jam antea, & anno quidem 1442, a pristina cum Savolaxiæ majoris Ecclesia sacrorum communione Ecclesia minor (*Capell*) *Fokar* (h), & forte aliæ plures; in quarum numero fuisse putamus, si minus Parœciam *Symä*, proprio Pastore eodem jam anno utentem (i), sed Ecclesiæ minoris *Hardola* interposito cœtui *S. Michaëlis* conterminam, at saltem Parœciam *Ithimaa*, (aliquando *Nyby*, hodie *Ithis*) ab Episcopo Aboënsi ARVIDO KURCK a. 1515 fundatam (k), & hoc quidem loco eo magis commemorandam, quod  
Män.

f) Åbo Tidn. I. proxime cit. ubi & de recentioribus ceteris ejusdem Parœciæ nominibus *Hifalax* & *Pellosniemi* commemoratur. Transisse postterius illud in totum aliquando territorium (*hård*), docent subscripta laudati jam Concilii decreto provinciarum & territoriorum nomina. Cfr. TUNELDS Geographie öfver Sverige, 7:de Uppl. 3:de B. p. 507.

g) SIGFR. H. PORTHAN Disf. Descriptionem Parœciæ Cuopio continentis P. Præf. JON. BILMARK, Ab. 1775 p. 3 sqq. 12 sq. Subscriptis Upsaliensis Concilii decreto Sacerdotes Parœciæ *Kuopio*, jam observavimus; sed inter Territoria alterum illud conspicitur nomen *Tavifalmi*, vico cuidam ejusdem Ecclesiæ primitus inditum. Cfr. TUNELD l. c. p. 501 sq. Åbo Tidn. 1771 p. 125, 129.

h) Åbo Tidn. 1784 p. 385 sqq. PORTHAN p. 515.

i) PORTHAN loco proxime laudato; ubi etiam docetur Parœciam *Lappvefi*, eidem, ut videtur, Savolaxiæ majoris cœtui quondam subjacentem, anno sæpius dicto Pastore gavilam fuisse suo.

k) Nititur hoc factum Historicis nostris ignotum fide libri scripti (*Historiebok*) in templo Ecclesiæ Walkiala quondam aservati, sed flammis ante aliquot annos cum ipso templo deleti, Usurpare ta-

*Mändyharju* nostra, aut certe pars ejus Tavastica & Kymmene-gårdensis, a parœciis *Lappvefi* & *Symä* tum primum separata, parere novæ illi parœciæ (*Ithimaa*) eodem tempore incepit (l). Nam Mändyharjuensis quemadmodum vel proprium demum nacti Pastorem ad tres diu pertinuerunt Provincias, Tavastiam (m), Savolaxiam & Kymmene-gårdiam, ita prius jam subjecti, quod ad animarum curam, fuerunt partim Ecclesiæ *StorSavolax* Nyflottenlis, partim Parœciæ *Lappvefi* Kymmene-gårdensis, partim denique Ecclesiis *Hollola* (n), *Ithis* & *Sys-*

men eundem, adhuc incolumem, oculis, nonnullaque inde in suos usus excerpere Episcopo Borgoënsium supra laudato ZACH. CYGNERO & beato Patri meo mature satis contigerat. Neque huic narrationi repugnant aut facta post quinque circiter lustra (a. 1542) Parœciæ *Ithimaa* (*Ilimä*) mentio (PORTHAN p. 691), aut nomina ERICI PETERI, Pastoris, & CAROLI BARTHOLDI, Sacellani in *Ithimaa*, decretum Concilii Upsaliensis firmantia.

l) Etiam hoc ex libro illo jam deperdito Ecclesiæ Walkialensis haustum. De parte autem tractus Mändyharjuensis Savonica nihil ibi legendum erat; quæ igitur Parœciæ sæpius nominatæ *StorSavolax* subjacere perrexisse censebitur.

m) Hinc etiam in Sententia judiciali a. 1415 de limitibus inter Savolaxiam, Tavastiam & Satacundiam (Åbo Tidn. 1765, Bib. p. 56 sq., cfr. PORTHAN p. 410), atque in Litteris R. CAROLI VIII. de limitibus Savolaxiam inter atque Tavastiam (Åbo Tidn. 1782 p. 257 sqq.) commemoratur insula quædam *Naglasaari* (*Naulajaari*) freti *Naulasalmi* in Mändyharju, quæ & post pacem Aboæ a. 1743 pactam Rusicam parœciæ nostræ partem a Svecana dislinxit.

n) Commemoratur illa ad annum 1483 (quo forte nec multo antiquior) apud PORTHAN p. 611, coque multa quondam delata fuisse terræque mandata Mändyharjuensium funera, ex traditionum fide



*Syrmä Tavastensis* Ditionum; donec, Sæculo 17:mo ineunte, *Mändyharju* in propriam erigeretur sui que juris Ecclesiam,

Ansam ulteriori huic separationi sine dubio dedit nimia etiam tum templorum sacerdotumque raritas, magnæque auditorum partis ab illorum sedibus distantia. Sæpe baptismo per plures annos caruerunt infantes, in primis cum propter legendi incertitiam neque a laicis administrari is posset; quo in genere referunt fuisse puerum quendam villæ rusticæ *Huhilo* non amplius tenerum, sociorum conviciis, quod baptizatus non esset, permotum, ad templum Ecclesiæ *Lappvesi*, milliarium prope 5 spatio per loca deserta & invia distans, ut sacro adspargeretur lavacro, abiisse, indeque nominis jamdudum sibi impositi, *Olavi*, confirmationem reportasse. Ferunt etiam copulatione sacerdotali sæpe caruisse sponso & sponsas, in vero licet viventes conjugio, ut taceam ad ægrotos & moribundos religionis solatia, ad bona utentes valetudine ipsius doctrinæ præcepta raro pertigisse. His igitur ut medela afferretur incommodis, a parœcia illa jam nominata *Ithinmaa* secreti demum fuere *Mändyharjuenses*, quod quidem haud multo post inaulpicatam PEURONIS cujusdam, Pastoris Ecclesiæ *Walkiala*, mortem, quæ in annum inciderat 1606, fuisse factum, liber ille supra laudatus historicus ejusdem Ecclesiæ docuit, idemque adducenda in sequentibus Pastorum, qui scilicet ad nostram pervenere notitiam, nomina confirmabunt.

Est

narrant P. A. CADD & J. F. BUCKY, *Ash*, om *Hollola Socken*, Åbo 1792 p. 2.

Est vero parœcia ista nostra *Mändyharju* etiam hodie satis spatiosa, & a templo in medio parœciæ sito ita partim in longitudinem, partim in latitudinem porrecta, ut ab æde illa sacra vicus maxime orientalis *Huhilo*, & vicus maxime occidentalis *Puiffjärvi* 4 uterque milliaria distet, vicusque meridici proximus *Muhu* & villa rustica *Niiröis* vici *Niinmäki*, qui septentrionem attingit proxime, ad spatium sesquimilliaris sint ab eodem quasi centro remoti. Cingitur eadem parœcia Septentrionem versus, illo tractu quem incolunt Ecclesiæ minoris *Hirvensalmi* (subest hæc parœciæ supra dictæ *S. Michaelis*) membra; ab Occidente, parœcia *Gustavi Adolphi* quondam *Hardola* cæsusque minoris (parœciæ *Hollola* subje-cti) *Heinola* sedibus; a Meridie, parœciis *Ihis* & *Walkiala*; ab Oriente parœcia *Savitaipal* annexaque eidem Ecclesiæ *Suomenniemi*; & Boream versus, parœcia *Christina*. Elevationem poli & longitudinem loci (illius scilicet, in quo templum est ædificatum) nemo, quantum scimus, accurate determinavit; erit autem ex mappa Hällströmio-Herminianis, illa circiter 60° 24', hæc 44° 25'. (o) Distat de cetero templum nostrum a castello *Firventaipal* in confinio parœciarum *Walkiala* & *Luumäki* 4½, a gubernatrice provincie sede *Heinola* 6, ab urbe *Willmansstrand* 8½, a *Fredrikshamn* 10, a *Wiburgo* 14½, ab urbe *Ludo-*

o) Parum quidem congruit illa litudinis computatio iis, quæ habet Büsching (*Magazin für die neue Historie und Geographie* 4 Theil p. 493) quibusque elevationem poli assignat urbi *Willmansstrand* 61° 30' temploque Ecclesiæ *Luumäki* 61° 45'. Sed præterquam quod quadrante is usus fuerat ligneo & in hunc usum ex tempore fabricato, manifestus est aut ipsarum observationum, aut, ut veri videtur similis, typographi error, cum templum illud *Luumäkiense* meridici sit haud parum propius, quam urbs illa *Willmansstrandensis*.



Ludovicæ 16 (hieme 12), a *Borgoa* 18 (hieme 14), a *Petro-*  
*poli* 28½, ab *Aboa* 34½ milliaria; nec suo forsitan pretio care-  
 bit observatio Cel. HASSELBOM (Matheseos quondam ad hanc  
 Academiam Professoris), distantiam parocciæ nostræ a parocciâ  
*Tavallizæ Pelhäne* recta 15 milliarium linea desinentis (p).

Dictum in superioribus fuit, trium olim provinciarum fu-  
 isse parocciam nostram: *Tavastiburgensis*, *Nyslottenlis* & *Kym-*  
*menegårdensis*; ut proinde in tres quasi partes, nec istas ad-  
 modum inæquales lecta videretur. Parebat porro prima illa  
 Gubernatori *Helsingforsicæ*, dux vero reliquæ Gubernatori *Will-*  
*manstrandicæ* sedem habentibus; sed suo singulæ Prætori (*Kro-*  
*nosfogde*), suo Exactori (*Länisman*) & in litibus causisque suo  
 Territoriali iudici; nec erat nisi in Ecclesiasticis rebus indi-  
 visa unius Consistorii & unius Ministerii in omnes potestas.  
 Civilis autem illius in partes nimis multas distractio cum in-  
 commoda pareret & gravia & frequentia, omni quo valuit co-  
 natu in id elaboravit Pastor quondam Ecclesiæ nostræ meritis-  
 simus ZACHARIAS CYGNEUS senior, ut non nisi uni regenda  
 committeretur quævis civilis quoque administrationis pars: quod  
 tamen antequam aggressus esset, alia quædam inciderat rerum  
 parocciæ nostræ mutatio, nec illa quidem expeditiorem effici-  
 ens negotiorum rationem. Ceserat nempe per pacem *Aboæ*  
 die 7 Aug. 1745 compositam pars *Kymmenegårdensis* tota *Rus-*  
*sicæ*, manente quidem utrunque partes inter divullas Ecclesia-  
 stica, sed magis etiam quam antea soluta Politica communione.  
 Subjiciebatur scilicet pars illa *Russica* Satrapicæ (*Gouvernement*)  
*Wibur-*

p) CHRIST, LIMNELL de *Tavastia* (Præf. H. HASSEL) Cap. Pr. p.  
 3 sq.

*Wiburgensi*, & Territorio *Lappvef;* cum contra *Svecica* duo-  
 bus, ut ante, Gubernatoribus parere pergeret. Vicit vero  
 (quo anno, nescire nos fatemur) indefessa objectorumque in-  
 pedimentorum multitudine vinci nescia laudati jam CYGNEI  
 perseverantia; qua igitur effectum, ut coalescerent dux illæ  
*Svecani* tractus partes unoque regi inciperent Gubernatore (*Ny-*  
*lando-Tavastorum*), Prætere uno, unoque Exactore, nec alia  
 ad nostrâ usque tempora mutatione, quam ut, ex tenore no-  
 væ a. 1775 factæ Satrapiarum *Fennicarum* descriptionis, ad  
 Satrapiam *Heinolensem* & *Savolaxiæ Superioris* territorium  
 transirent. Uno itidem ab illo saltem tempore usæ sunt lit-  
 um causarumque iudice Territoriali (*Savolaxiæ majoris*), u-  
 noque pariter Provinciali (*Kymmenensi*) Iudice: quæ tamen  
 omnia non impediverunt, quo minus in tribus illis primitivis  
 Parocciæ nostræ partibus, *Savonica* scilicet, *Tavastensi* & *Kym-*  
*menegårdensi* (*Russicæ* nuper, jam vero *Lappvefensis* nomine  
 distincta) aliqua etiamnum obtineat qua linguæ dialectum, qua  
 vestitum moresque, & in primis qua portionum virilium (*man-*  
*tal*) in prædiis æstimationem, diversitas. Sic in *Savonica* par-  
 te 4 sic dicti campi tributarii (*Skattmarker*), pro quorum sin-  
 gulis, tributii loco, pellis una *Sciurina* (hinc *Oravanmaat* *Fen-*  
*nis* appellati) quotannis perloluta fertur (q), portionem viri-  
 lem unam efficiunt; in parte *Tavastorum* demensa camporum  
 singulis quæque oris æstimata (*Öreländ*, *Fenn. Äyrinmaat*)  
 tria (r); in parte *Lappvefensi* (ut in toto certe *Willmanstran-*  
 den.

q) De pellibus Episcopo & Curatis *Finlandiæ* pendii solitis multa ha-  
 bet PORTHAN p. 122, 211 sqq. 230, 231 sq. 274, 315, 377, 690,  
 (& *Åbo Tids.* 1785 Bih. p. 119, 121 sq. 125--128); sed Regi eti-  
 am solvi sivevisse documento est p. m. 517.

r) Par in nonnullis aliis *Tavastiæ* parocciis usu venit computandi ra-



denſi circulo, aut forte in tota Wiburgeniſi Satrapia) ager modiorum (*Kappar*) ſexaginta. Computantur autem per univerſam parœciam portiones viriles haud diminutæ (*oſförmödade*)  $51\frac{4}{7}\frac{1}{2}$ , quarum Lappveſienſi tractu  $15\frac{1}{2}$ , reliquis autem  $38\frac{4}{7}\frac{1}{4}$  continentur.

Limites, qui poſt pacem Aboënſem Imperium Ruſſicum a Svecano aliquamdiu ſepararunt, per noſtram quidem parœciam iidem fuerunt, qui antea a reliquis ejuſdem partibus ſecreverant Kymmenegårdenſem. Incipiunt illi meridiem verſus a cataracta *Woikofki*, ad quam conſluunt parœciæ *Mändyharju*, *Ithiſ* & *Walkiala*; aſcenduntque Corum ſenſim ſpētando per lacum *Sarkaveſi*, fretum *Wirraſalmi*, lacum *Juolaveſi* & fretum *Naulaſalmi* (s); tum porro per lacum *Tarkaveſi*, fretumque *Miekäſalmi* diriguntur ad orientalem plagam per lacum *Vähä Lahnaveſi*, cataractam *Pyhäkoſki*, lacum *Iſo Pyhäveſi* ejuſque inſulam, villæ paſtorali conterminam, *Pyhäſaari*; deinde per lacum ſpatioſiorem (*ſjerä*) *Haapaſelkä*, fretum *Wuoldenſalmi* ſ. *Kiepinſalmi* & lacum *Kallaveſi* ad *Hongataipal* pergunt, a jugo illo *Maanſelkä*, de quo in ſequentibus nonnulla, haud procul remotum, ſed intra parœciam, cui a *Chriſtina* nomen, ſitum. His terminis ab occidente & ſeptentrione comprehenſus tractus, per dimidium quamvis ſæculi & ultra Ruſſiæ jam acquiſitus, Svecicis tamen & juribus & judiciorum forma uti per quadraginta circiter annos perrexit, ſed poſteriori illa,  
poſt

---

tio, ſed ita, ut in aliis ejuſdem ditioſis locis non niſi 4, 5 aut 6 iſtiusmodi demenſa portionem virilem unam æquent.

3) Vid. ſupra not. m)

poſt conſtitutas a. 1735 (t) etiam in Wiburgeniſi Ditioſe Præſecturas (*Ståthållerkap*) & Circulos (*Kretſar*) ita mutata, ut cauſæ minoris momenti curiæ rurali (*Landträtt*) Willmanſtrandeniſi, parœcias ſuæ juridiſtionis quovis anno pluries viſitaturæ, judicandæ permitterentur, gravioreſ autem partim ad Tribunal Fredricſhamienſe, partim ad judicia publica & criminalia (*Råſpråwan och Criminal-Tribunalet*) Wiburgeniſia deferendæ juberentur. Obtinuit hoc ad annum uſque 1797, quo ab Imperatore PAULO I. abolita eſt recentior hæcce forenſis diſciplinæ conſtitutio, & antiquus juris dicundi ordo in integrum reſtitutus: quod etiam in omnem duraturum fore ætatem, tanto ſperamus fidentius, quanto propenſior eſt in Fenniam, jam totam ſibi parentem, Miſiſſimi Imperatoris ALEXANDRI I. animus, quantoque & ſolennius promiſit Idem illibatam ſemper manſuram inſtitutorum noſtrorum rationem, & magis inſperantibus nobis participem hujus, Ediſto d. 11 (25) Dec. 1811 propoſito, reddidit etiam illam Finlandiæ partem, quæ jam antea Ruſſico ſubjecta fuerat ſceptro.

Ad Eccleſiaſticam Parœciæ noſtræ conſtitutionem quod attinet, paruerat illa quondam Aboënſi (ad a. 1618), deinde Wiburgeniſi, tumque Borgoënſi Diœceſi. Inciderat autem poſt pacem a. 1743 difficilis quæſtio non quidem de ipſorum Regnorum in hac ſaltem parœcia ſatis accurate deſcriptis finibus, ſed de communionem ſacrorum Ruſſicam inter partem atque Svecanam, inprimis cum & villa paſtoralis & ipſum templum  
B 2

---

t) CHRIST. DAN. VOSS'S Ruſſland beym Anfange des 19:ten Jahrhunders, 1:te Abth. p. 157 ſq. 173.



plam in ea sita essent parte, quæ Ruslicæ ditionis jam erat facta. Duo & ultra interceserunt anni, antequam Edicto (Ukas) Imperialis in Ditione Wiburgensi Cancellariæ die 19 Julii 1746 dato significaretur, placuisse Imperatrici, ut amborum Regnorum possessiones ab eodem quo antea, Pastore ZACH. CYGNÆO seniore penderent. Cum autem non satis liqueret, utrum hoc statum CYGNÆUM solum, an ejus quoque successores spectaret, illo a. 1774 mortuo nova movebatur de succedentium jure quaestio, quam, post communicatam cum Sveciæ tum temporis ad aulam Ruslicam Legato, Cubiculario Regio Liberoque Barone FREDRICO VON NOLKEN rem, ita die 12 Martii sequentis anni decidit Summum Imperii Collegium, ut conservanda semper juberetur Ecclesiastica utriusque partis communitas. Fuerat etiam a primis inde hujus conlocationis temporibus constitutum, ut sacerdotes parœciæ per suffragia plurima rite electi a Consistorio Borgoënsi confirmarentur, sed parerent, quemadmodum in rebus Sveciæ partis eidem, ita in reliquis (u) Fredricshamnensi Consistorio; pariterque, ut in diebus festis celebrandis Svecianam sequi liceret temporis computandi rationem, a qua tunc quidem parum aut nihil differebat Ruslica. Nec mutatus iste mos fuit post introductum a 1755 in universam Svecici Regni dominationem Calendarium illud Gregorianum reformatum; excepto tamen festo nativitatis Christi, ejusque pri-

mo

u) Sic Indices natalium, denariorum, conjugiorum &c. itemque Rationes acceptorum expensorumque Templi atque Ecclesiæ quotannis & Borgoam & Fredricshamniam mittere consuevimus, litterasque circulares ab utroque Consistorio accipere, donec edicto Imperiali die 26 Januarii (7 Februarii) h. a. scripto, Consistorium & Wiburgense & Fredricshamnense dissolveretur, Guberniumque Wiburgense totum parere in rebus sacris juberetur Capitulo Borgoënsi.

mo die, qui quidem, post a. 1800, in ipsum diem Epiphaniæ s. trium Regum filii novi incidit, itaque fuit ad hoc saltem tempus celebratus, ut in ipso templo hujus tractaretur festi pericopa, sed in vico quodam remotiore tractus Lappvesiensis, quotannis designando, prioris illius argumentum. Excipere oportet etiam dies natalibus nominibusve personarum augustæ Imperialis familiæ claros, quos nonnisi post transactos plures sub dominatione Ruslica annos, sed ante obitum CYGNÆI senioris, & propria sponte, celebrare inceperunt Sacerdotes Ecclesiæ nostræ; quod quidem ita fieri solet, ut, quoties plures quam duodecim adsint auditores, homilia habeatur aut in dictum quoddam Biblicum, aut in pericopam Epistoliam diei dominicæ proxime antegressæ, quoties autem duodenario minor fuerit præsentium auditorum numerus, vota tantum precesque Deo ferantur. Neque his diebus ab opere cessat quisquam, nisi per illam ipsam horulam, qua sacra ista peraguntur. Sollemnes precationum poenitentialesque dies *allmänna Bönedagar* ab utraque quidem parte indici, sed eodem quo apud Svecos tempore a tota parœcia celebrari siverunt. Nam aut in eosdem plane dies nonnunquam inciderunt decretæ in utroque regno illius generis supplicationes, aut ita conjungi, nemine vetante, potuerunt, ut præbitura habendis concionibus materiem Scripturæ Sacræ dicta (*Texter* v), quo

com-

v) Solent illa, in Svecia, in singulos dies tria numero eligi, quorum tamen tertium, concioni vespertinæ (*Aftonångspredikan*) subtrahendum, in Ecclesiis ruralibus semper omittitur. Sed in Ruslica istorum temporum Fennia, ubi a Wiburgensi & Fredricshamnensi Consistoriis alternis annis fuerunt eligenda, auctoritateque Supremi, quod Justitiam curabat, Collegii confirmanda, præter duo ista



commodissime fieri posset modo connecterentur, unaque conflaretur matutina homilia (*Ottefångspredikan*) e duobus illis in hunc usum utrinque destinatis, pariterque antemeridiana una (*Högmåsfopredikan*) e duobus proxime sequentibus componeretur. Consentaneum de cetero fuit, ut, quamdiu a duobus Imperiis penderent Ecclesie nostrae membra, Summis amborum Magistratibus incolumitas a Deo expeteretur: nec aequae tamen concorditer aequae placide in unum templum congregari & in eadem conspirare vota semper licuit. Haud semel enim, sed pluries contrahi in Fennia limitaneam militiam (*militairiska Gränse Cordoner*) iusserunt Sveciae Imperantes, non quidem quod bellum cum potente vicino tum cuperent, sed bis quidem (versus finem a. 1770 & vere insequente) profligandae Pestis, quae e Turcarum sedibus in Rusliam proserpsisse putabatur, causa, tertium aestate anni 1772, ex occasione mutatae in Svecia regiminis formae. Harum neutra diuturna fuit, sed multorum tamen incommodorum plena; cum & a templo suo adeundo arcerentur Svecanae partis incolae, & sacra saepe sub divo peragere sepulcraque mortuis suis, propter caemeterii rite consecrati defectum, in aliis Ecclesiis quaerere cogerentur, ipsisque sacerdotibus injungeretur ut alii in Svecana, alii in Ruslica Paroeciae parte, donec liberi transitus concederetur venia, constanter habitarent. Nec paribus molestiis caruit tertia illa ad ultimum fere anni 1772 tempus extensa, sed postremo tolerabilior post datam demum Svecani tractus habitatoribus veniam sacras frequentandi aedes & suorum funeribus iusta ibidem solvendi. Neque valde dissimilis rerum fuit conditio, cum

---

priora (*Ottefångs- och Högmåsfotexten*), nullum unquam fuit in publicae pietatis exercitium propositum. Cfr. TUNBERG I, c. p. 422.

cum mense Majo anni 1798 initioque anni 1801 omne fere; Imperatorio iussu, interciperetur duarum illarum paroeciae partium commercium: sed ita tamen, ut primo illo interclusae communicationis tempore pateret incolis Svecanae partis, qui liberi commeatus litteris se apud Commissarium Provinciale Willmanstrandensem muniissent, templi sui adeundi facultas; altero autem, ultra primum anni bimensem haud protracto, Sacerdotum alteri, juniori quidem & ad tempus constituto (*Interims-Predikant*), liceret auditores Sveciae regno parentes die quovis dominico aut festo invisere, quo in negotio is Gregoriano Calendario, reliqua vero Sacri ministerii membra Juliano, curas suas attemperabant. Diuturnior vero fuit & multis nominibus difficilior perturbatus Ecclesiae nostrae status, flagrante annis 1788—1790 Rusliam inter Sveciamque bello in duas omnino Ecclesias disiectae; quare necesse erat novum in Svecana paroeciae parte, idque viae publicae & vico *Lahnmanis* aedibusque, in quibus Judicia territorialia celebrantur (*Tingshusen*) propinquum, adornare atque dedicare caemeterium (x), cultumque Dei publicum jam hic, jam illic, sed plerumque in hujus caemeterii vicinia celebrare, quae omnia ut curaret pater meus dilectissimus, relinquenda ipsi fuit diu habitata sedes & in Svecanae ditionis partem transmigrandum. Sed hisce molestiis optatum attulit finem alma post biennium redintegrata pax, certioreque etiam nuperrima rerum universae Fenniae conversio.

---

x) In hoc condi vel hodie a pauperioribus solent defuncti, illis quidem anni temporibus, quibus inviae aut certe parum meabiles sunt viae lacusque, & a Sacerdote unam duasve quotannis conciones in vico isto habente solenni ritu inhumari. Solo etiam commendabile est satis idoneo, areoso.



Incolarum parœciæ nostræ numerus amplitudini locorum (lacubus tamen non tam magnis quam multis interseptorum) nunquam satis respondit. Erant ex recensione anni 1769 in parte Savonica 1580, & biennio post 1658 hominum capita (y); numerabantur in parte Lappvesiensi anno 1797, quo primus ibi habitus est militum delectus, homines virilis sexus 989; dederuntque computationes annorum 1805 & 1810, *illa*: in parte Heinolensi Satrapiæ subiecta, capita virilis sexus 2556, feminei 2505, in parte a Wiburgensi Gubernio pendente, virilis 1008, feminei 1058, *hæc*: in parte Heinolensi, sexus masculi 2367, feminei 2277, in parte Wiburgensi, masculi 950, feminei 984.

g) Abo Tidn. 2772 p. 115 sq.



DISSERTATIO ACADEMICA  
HISTORIAM DESCRIPTIONEMQUE  
PAROECIÆ MÅNDTHARJÛ

SISTENS;

CUJUS  
PARTEM ALTERAM,  
CONSENTIENTE AMPLISS. FACULT. PHILOS. AB.  
PRÆSIDE

**JOH. FREDR. WALLENIO,**

Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro  
in quarta classe Equite, Societ. Oecon. Imp. Fenn. atque  
Reg. Wern. I. nec non Societ. Patriot. Holm. Membro, &  
Societ. Latin. Jenens. Socio Honorario,

VENTILANDAM,

PRO GRADU PHILOSOPHICO,

EXHIBET

**FREDRICUS KORSSTRÔM,**

V. D. M. e vicinia Aboënsi.

In Audit. Philosoph. die xxx Novembr. MDCCCXIV.

h. a. m. confvetis,

ABOË, TYPIS FRENCKELIANIS.